DE ENURESI AUT URINÆ INCONTINENTIA INAUGURALIS DISCEPTATIO...

Bartolomeo Saleri

DE ENURESI
AUT URINAE INCONTINENTIA
INAUGURALIS DISCEPTATIO

QUAM AD SUMMOS

IN MEDICINA HONORES

OBTINENDOS

DEFENDIT

IN VETUSTISSIMA SCIENTIARUM

UNIVERSITATE PATAVINA

BARTHOLOMAEUS SALERI

BRIXIANUS

CHIRURGIAE DOCTOR

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXVIII.

VIRO · PRAECLARISSIMO

FLORIANO · CALDANIO

PHILOSOP · MEDICIN · ET · CHIRVRGIAE · DOCTORI

XL · VIRO · SOCIETATIS · ITALICAE · SCIENTIARVM

INTER · SOCIOS · HONORARIOS · ADLECTO

CAES · ACADEMIAE · IOSEPHINAE · VINDOBONENSIS

VETERI · INSTITVTO · BONON ·

REG · ACAD · SCIENTIAR · BEROLIN · TAVRIN · NEAPOL ·

REG · SOCIET · MEDIC · PARISIENS · PARMENS ·

LVCENS · NEAPOL ·

SOCIET · PHYSICOR · ET · MEDICOR · QVAE · BONAE · EST

ACAD · SCIENT · PONTONIAN · PATAV · ADSCRIPTO

IN · LYCEO · MAGNO · PATAVINO

ANATOMIAE · PROFESSORI · CELEBRATISSIMO

HANC

INAVGVRALEM · DISCEPTATIONEM

BARTHOLOMAEVS · SALERI · BRIXIANVS

D · D · D ·

Ubi consideretur peculiaris vesicae urinariae textus, internaque superficies tribus foraminibus instructa, et membranae quibus viscus constat, videlicet carnea aut muscularis, cellulosa, quae ab antiquis etiam nervea dicta fuit, interior, quae a celeberrimo praeceptore meo Caldanio cribrosa, ab aliis mucosa dicitur; ubi considerentur folliculi mucosi innumeri et vasa arteriosa quam plurima, quae oriuntur ab arteriarum hypogastricarum ramis aut venae quae transferuntur ad plexum venosum hypogastricum, aut nervi a plexubus ischiadico-hypogastricis prodeuntes, et vasa lymphatica, et demum forma, connexiones cum peritonaeo, recto intestino, vagina in feminis, irritabilitas atque sensilitas, ecquis ignorat, aut in dubium revocat organum hoc plurimis morbis adfici posse? Inter morbos autem qui hujus organi proprii esse solent, non infimum locum tenet *enuresis,* seu urinae incontinentia; quo in ar-

gumento, ingenii mei sat tenuis probe conscius, breviter, ne vestra patientia abuti videar, versari non inutile puto.

Nuncupatur enuresis stillicidium aut profluvium urinae sanae aut morbosae, quae involuntarie a vesica per urethram effunditur nullo vesicae stimulo sollicitata, aut peculiari ipsius organi debilitate aut quibusdam organicis vitiis.

Variat hujusmodi morbi natura. Modo urina involuntarie expellitur, et absoluta incontinentia tunc dicitur; modo urina praeceps ruit ubi aeger novam sentiat urinae collectionem fieri, et tunc imperfecta dicitur; aut urina labitur durante somno, aut delirio, alioque morbo. Causarum ratione habita enuresis dividi solet in idiopathicam, symptomaticam, accidentalem, atque habitualem. Enuresis distinguitur a diabete, nam urina nec majori copia, nec colore aut sapore peccat; neque in enuresi vehemens est sitis vel macies consequitur: distinguitur porro a disuria, in qua dolor et ardor urinae ejectionem comitatur.

Enuresis pueris et senibus familiaris esse solet: feminae quoque huic obnoxiae sunt in gestatione et puerperio, urinam aliunde emittendo tussi et risu, aut levi metu aut terrore. Enuresis insuper observatur in iis qui veneri et baccho maxime indulgere solent.

Peculiaris vesicae atonia, ictus, contusiones, vulnera perinaei, ani, vaginae, uteri, ejusdem prolapsus, vesicae hernia, calculi vesicae collo adhaerentes, huic morbo causam frequentissime praebuerunt. Sanvagesio adnotante, enuresis lithotomiam quoque sequi consuevit, secto siquidem vel debilitato collo vesicae urina sponte effluit. Pariter partus diuturni, difficiles, tussis ferox, vehemens, inflammationes et spasmus vesicae; vini meraci, potus spirituosi et veneris abusus. Causa insuper incontinentiae urinae frequentior paralysis est, et praesertim ubi nervi sacri et lumborum compressi, contusi vel laesi fuerunt. In febribus acutis nervosis atque in typho aegri involuntarie urinam copiose emittunt, si praecipue delirio adficiantur, aut sphincteres vesicae et ani labefactentur. Observatur saepe enuresis ex morbis lethargicis, soporosis, paraplegia, emiplegia, epilepsia, hydrocephalo, ventriculorum cerebri hydrope quemadmodum ex contusione, luxatione, fractura, carie, exostosi vertebrarum, in hydrorachitide, metastasi rheumatica, inflammationibus, abscessibus, fistulis ani, longa mora in balneo frigido. Aliquoties etiam observatur in iis qui paucis tantummodo horis absque irritatione urinam minime expellunt, vel in iis qui non nisi post diuturnum inter-

vallum mingere solent, quod pendet non modo a majori aut minori vesicae capacitate, sed a sensilitatis gradu ipsaque consuetudine. Sensilitas atque urinae desiderium augetur saepenumero ob rheumaticam vesicae adfectionem, aut chronicam phlogosim, aut sanguinis menstrui congestionem, aut haemorrhoides, aut vesicae et musculorum abdominis spasmum. Urinae frequentia atque incontinentia insuper oritur ex quibusdam vitiis organicis, videlicet uteri scirrho, cancro, hydrope, steatomate, ossificatione, a fetus capite, intestini recti duritie scirrhosa, a contractione et compressione vesicularum seminalium, a membranis vesicae adfectis, ab ulceribus, calculis, fungis, polipis, et tumoribus purulentis qui partem vesicae inferiorem occupant.

Varia debet esse pro opportunitate hujusce morbi curatio; siquidem si urinae incontinentia a debilitate orta fuerit nec diuturna sit, tonicorum remediorum usum postulat, balnea frigida, topica aut universalia, fomenta spirituosa aromatica, linimenta volatilia perinaeo adplicata, enemata et decoctiones corticis peruviani, rathaniae radicis etc. Difficilior curatio ejus incontinentiae est, quae a paralysi originem habet. Non sine emolumento epispasticum ossi sacro adplicatum fuit, id quod

elapso anno in Schola Clinica Medica mihi observare datum fuit. Aeger quidam jamdudum lenta hepatitide et incipiente tympanitide, arthritide chronica syphilitica, febre hectica comitata, non secus ac pertinaci urinae graveolentis et copiosae incontinentia corripiebatur. Morbus fere desperatus ob hujusmodi complicationes videbatur. Cl. praeceptor noster Federigus praeter cetera remedia, latum ossi sacro epispasticum adplicavit, et sensim sensimque urinae incontinentia debellata fuit, et aeger tandem Praeceptore et discipulis valde stupentibus, ab Instituto discessit optimae restitutus saluti, quae et hodie, ut scimus, perseverat. Inter alia praesidia medica prodest prae ceteris linimentum volatile camphoratum per lumbos extensum, electricitas, et corticis peruviani decoctiones.

Enuresi quae a catameniorum retentione orta sit, hirudines vasis sedalibus, et perinaeo applicitae, enemata, fomenta frigida ex aqua et aceto parata summopere juvant. Causa rheumatica praepollente, diaphoretica in promptu sint, videlicet infusiones sambuci, vel decoctum ligni sassafras cum spiritu Mindereri etc. Incontinentia quae a calculis oritur, lithotomia debellatur; et si operatione instituta, vesica morbosa pertinaci sensilitate laboret, enemata

opiata ad rem nostram faciunt. Pueris qui in nocturno somno urinae incontinentiae obnoxii sunt, alimenta et nimii potus in coena negari debent. Si universalis debilitas superstes sit cum nimia vesicae sensilitate conjuncta, prosunt chinae chinae decoctiones, infusiones arnicae et ligni quassiae non secus ac kalybis praeparata et boli gummi kini et radicis columbi.

Incontinentia quae ex vitio organico, videlicet ex scirrho pendet collum vesicae vel vesicam ipsam occupante, *palliativa* potius quam *radicali* medendi ratione pertractanda est.

Quid in enuresi praedicendum sit, et quid a medico expectandum, a speciei vel potius causae consideratione conjectari debet, a qua morbus ortum duxit. Enuresis enim quae a sola debilitate et morbosa vesicae sensilitate pendet, et quae parum perdurat, vel in diuturno profundoque somno observatur, opportunorum remediorum selectu et vitae genere, aut sponte aut pedetentim curatur atque evanescit. Urinae incontinentia quae ab hernia aut prolapsu uteri aut vaginae oritur, chirurgica praesidia poscit. Periculosa valde ea censeri debet enuresis, quae a carcinomate uteri, vesicae aut alio organico morbo originem habet. Ubi diarrhaea consequatur, uti in mor-

bis acutis, lethale praesagium est. Valde periculosa est insuper enuresis quae a fistulis male pertractatis aliaque laesione organorum ortum duxit.

THESES DEFENDENDAE

I.

Enuresis quolibet mense periodice renovari potest.

II.

Quae melancholici praedicunt nullam fidem merentur.

III.

Multi morbi non possunt simulari.